

corporibus naturalibus convenit. Hinc *Scaliger* Exerc. 359, H. corpus, *inquit*, facere sine materiâ, est facere infomnium sine fomno, & redarguit acriter *Exerc. 16.1. Zabarellam*. Quia enim hic non tantum ex Averrhõe, sed etiam Theophrasto, Alexandro, Ammonio, Themistio, Simplicio, Jamblico, Olympodoro, Michaële Ephesio & Joan. Grammatico, cœlum corpus simplex esse, & nec materiâ, nec formâ constare asseruit, omnes, qui negant in cœlo materiam, vecordes dicit *Exerc. 359. II.* nec id immeritò. Dum enim corpus absq; materiâ facit *Zabarella*, totum essentiale profert absq; partibus, panem sine farina, fomnium sine fomno. Neq; derogat Materiæ, vel cœli incorruptibilitas, vel unitas materiæ. Enimverò corruptionem infert non materia quævis sed composita. Hæc è diversis conflata est corporibus, quæ fœdere rupto & induciis finitis prorumpunt in interitum. Hinc *Scaliger* iterum: Illud censeo rejiciendum, Materiam meditari corruptionem. Nihil enim prohibet, in materiæ parte unâ esse formam cum qualitatibus quæ habent contrarium, & in aliquâ parte formam, sine ullâ illarum qualitate. Non enim data fuit à natura materia ob transmutationem ad generationem primò & per se, ut ubicunq; sit, ibi etiam sit generatio, sed ad subsistendum formæ corporeitatis in substantiâ & recipiendum quantitatem, ac figuram. Deinde verissimum est, quodlibet corpus suam habere materiam, & sic quoq; cœlum suam. Non debet cœlum eandem cum inferioribus habere materiam, quia non eandem cum iis habet formam.

§. 2. Cæterum uti corpora naturalia omnia materiam habent, sic & sola. Unde nec spiritibus, nec formis, nec accidentibus Materia assignanda est, ac minus rectè à non nullis dividitur in Physicam seu sensibilem, & Metaphysicam seu intelligibilem, cum dividens evertat naturam totius divisi. Sicut duplex quantitas statuenda non est, una prædicamentalis, altera intelligibilis; sic nec duplex materia, cujus essentiale consequens quantitas est. Non quia Tu Spiritus intelligis esse quantos, ideò sunt quanti, sed ut tu intelligas eos quantos, oportet primùm illos verè esse quantos, rectissimè scribit